

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Nilus Mysticus Profluens Ex Paradiso Voluptatis, Sive Doctrinae Ad Mentem Scoti Theologicae, Ac Per Duodecim Alveos Regios In Flumen Magnum Serenissimae Marchionum Badensium Genealogiae Sese ...**

**Stümmel, Friedrich**

**Fulda, 1673**

Hungariae

[urn:nbn:de:bsz:31-11315](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-11315)

*Serenissimæ Domus Badensis origo ex  
Antiquissimis Regibus.*

# H U N G A R I Æ.



## B E L A I.

**D**Vx Hungarorum, Ladislai Calui Filius, Michaëlis Nepos, Toxis Pronepos; post S. Stephanum, Petrum Alemannum, Andream & Salomonem, Hungariæ Reges, ab universo Populo Rex acclamatus, Tertio Regni Anno, qui fuit 1063. rebus humanis excessit. Vxor Anonyma Meficonis Poloniæ Regis Filia.

Geyfa Magnus Rex Hungariæ,  
Belæ I. filius, obiit Anno 1077. postquam regnasset triennium.

Almus Dux Hungariæ,  
Geyfæ Magni Regis filius, à Colomanno Fratre una cum Filio excæcatus.

Bela II. Rex Hungariæ,  
Almi Ducis Filius, à Colomanno Patruo excæcatus decessit Anno 1145. Uxor Helena Uri Macedonis, Augustalis Comitis Filia.

Geyfa II. Rex Hungariæ,  
Belæ Cæci filius, obiit Anno 1165. Uxor Anonyma Minoslai Kioviæ Ducis filia.

Bela III. Rex Hungariæ,  
Geyfæ II. filius, decessit Anno 1199. Uxor Margarita Ludovici VII. Franciæ Regis filia.

Andreas II. Rex Hungariæ,  
Belæ III. Filius, obiit anno 1238. Uxor Gertrudis Bertholdi Ducis Meraniæ filia, post mortem inter Divos relata.

Bela IV. Rex Hungariæ,  
Andræ II. filius, decessit Anno 1275. Uxor Maria Emanuëlis Imp. Constantinopolitani Filia.

F

Stepha-

Stephanus IV. Rex Hungariæ,  
Belæ IV. Filius, obiit Anno 1277. Uxor Fenuenna Zemouiti Ducis Masoviæ Filia.

Maria Regina Princeps Hungariæ,  
Stephani IV. filia, nupta Carolo Claudio Regi Siciliae & Neapolis.

Carolus Martellus Rex Hungariæ,  
Caroli Claudii Filius, decessit anno 1342. Uxor Clementia Rudolphi I. Imperatoris Filia.

Carolobertus Rex Hungariæ,  
Caroli Martelli filius, obiit Anno 1342. Uxor Elifabetha Ladislai Loctici Poloniæ Regis filia.

Ludovicus Rex Poloniæ & Hungariæ,  
Caroloberti Filius, decessit Anno 1382. Uxor Elifabetha Stephani Banni Bosnensis Filia.

Maria Regina Hungariæ,  
Ludovici Regis Filia, nupta Sigismundo Romanorum Imperatori.

Elifabetha Regina Hungariæ & Bohæmiæ,  
Sigismundi Cæsaris filia, nupta Alberto II. Austriaco Romanorum Imperatori.

Elifabetha II. Regina Hungariæ & Bohæmiæ,  
Alberti II. Imp. filia, nupta Casimiro Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuanæ.

Sophia Regia Princeps Poloniæ,  
Casimiri Regis filia, nupta Friderico Marchioni Brandenburgico, Burggravio Norinbergensi.

Elifabetha Marchionissa Brandenburgica,  
Friderici filia, nupta Ernesto Marchioni Badensi in Durlach Anno 1510.

Carolus Marchio Durlacensis,  
Ernesti filius, obiit Anno 1577. Uxor Anna Ruperti Comitis Palatini in Lauterek filia.

Georgius Fridericus Marchio Durlacensis,  
Caroli Filius, obiit Anno 1638. Uxor Juliana Ursula Friderici Rheingravij filia.

Fridericus Marchio Durlacensis,  
Georgij Friderici Filius, decessit Anno 1659. Uxor Eleonora Alberti Othonis Comitis Solmensis in Laubach Filia.

## BERNARDUS GUSTAVUS

S. R. Ecclesiæ Cardinalis, S. R. Imperij Princeps, Inclytæ Ecclesiæ Fuldenfis  
ABBAS, Augustæ Romanorum Imperatricis Archi-Cancellarius, per Germaniam  
& Galliam Primas &c. Marchio Badensis & Hochbergensis in Durlach &c. Ecclesiæ  
Ducalis Campidonensis Administrator, & Coadjutor liberæ seu immediatæ Abba-  
tiæ & Eccl. Syburgensis, Landgravius in Saufenberg, Comes in Sponheim, & Eber-  
stein, Dominus in Röteln, Badenweiler, Lahr & Malberg, Metropolitanæ & Cathe-  
dralis Eccles. Coloniensis & Argentinensis respectivè Canonicus & Capitularis, &c.

*Sere-*



# Serenissima Domus Badensis cum antiquissimis

Regibus Hungariae sanguine unita, in augustissimo eorundem Regum scuto tota est  
Theosophica, & illustri symbolo mirifice representat statum naturae in-  
tegrae, lapsae, & tandem reparatae.

**Q**uid hic vides? Virgam vigilantem video: bene vidisti, quia virgam S. Crucis, super quam vi-  
gilavit Dominus, omnes per illam omnis temporis à Mundo condito salvaturus homines, id quod  
symbolicè referat Crux Corona aurea supereminens intellige, caelestis premij omnibus promissa,  
qui per liberum arbitrium, in quo est mors & vita, gratia divina obediunt; tres è regione illi  
accumbentes in transversum trabes, symbolicè indignant tres humani generis status; puta natu-  
rae integræ, qualis erat status innocentia: lapsæ, qualis fuit post peccatum primi parentis, &  
reparatae per **JESUM CHRISTUM**.

Innocentia status brevi tempore durans fuit felicitate plenus 1. quocum Adam extra Paradi- Status  
sum fuit creatus ex terra, ei aqua immixta. 2. Eva ex costa Ade formata in paradiso. 3. Status Innocē-  
primæ conditionis naturæ hominis gratuito Conditoris beneficio collatus. 4. Protoplastes habuit con-  
creatam sibi gratiam sanctificantem, fidem & spem & omnes virtutes morales. 5. Eius intellectus fuit  
præterea rerum naturalium scientiâ decoratus, ei per accidens infusâ. 6. Posteriores omnes ab Adamo, si vè  
mediate, si vè immediate prognati, haberent justitiam originalem. 7. Quæ probabiliter non fuit unus  
simplex habitus, sed potius donum supernaturale, præter gratiam sanctificantem alia includens beneficia,  
quibus facilitabatur homo in omnibus occasionibus ad bene operandum, impediatur rebellio carnis ad  
spiritum, ut ratio & voluntas DEO, & appetitus sensitivus Rationi ac Voluntati in omnibus promptissime  
subjiceretur. 8. Primum Eva peccatum erat inordinatus amor sui. 9. Ada verò inordinatus amor  
Eva. 10. Primus homo talis à DEO conditus, ut libero, quo pollebat arbitrio, & bene velle posset & male. Status  
11. Idq; quod simpliciter est potentia eadem cum voluntate sibi sufficiebat ad peccandum, non autem ad  
merendum, aut ad justitiam sine dono perseverantia retinendam. 12. Per peccatum Ada rursus est de-  
structa imago DEI. 13. Neq; lumen practicum neq; liberum arbitrium. 14. Quod in omni ope-  
ratione sua necessario movetur per cognitionem intellectivam, sic ut ferri nequeat in incognitum. 15. Non  
tamen omne voluntarium præcisè intellectivam cognitionem prærequirit. 16. Et ommissio sit voluntaria  
non requiritur præceptum. 17. Violentia simpliciter causat voluntarium. 18. Secus est de metu &  
concupiscentia. 19. Communiter loquendo, non peccatur mortaliter nisi proponatur voluntati  
gravis malitia in objecto. 20. A qua non excusat omnis ignorantia. 21. Bonitas actus moralis sita  
est in conformitate ejus, ad rectam rationem practicam & bene fundatam, in qua reluceat decentia actus  
& pulchritudo quædam, ob quam ab homine dignus sit elici. 22. Datur actus humanus perfectè liber,  
qui sit ex natura sua indifferens in individuo. 23. Bonitas actus interioris & exterioris est una, loquendo  
de bonitate formali in genere moris. 24. Circumstantia alia aggravant bonitatem vel malitiam intra  
eandem Speciem. 25. Alia Speciem mutant. 26. Lex Principaliter importat actum voluntatis; præ-  
suppositivè intellectus. 27. Potest DEUS dispensare in præceptis juris naturæ largè sumpti. 28. Lex  
vetus præcisè non cessavit in morte Christi. 29. Subinde unico actu satisfieri potest pluribus legibus, pro-  
ut uno & eodem tempore per plures actus, pluribus præceptis. 30. Actus merè interni indirectè cadunt  
sub legem. 31. Lex graviter, aliquando leviter obligat pro intentione Legislatoris & materia quantitate.  
32. Christus semetipsum redemptionem dedit, pro omnibus hominibus. 33. Idq; non solum quoad pretij Status  
sufficienciam, sed etiam quoad sinceram eorundem salutis intentionem: qua quidem circa electos fuit effi-  
cax & consequens, circa reprobos verò antecedens tantum. 34. In nullo statu DEUS impossibilia jubet,  
sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis. 35. Omnes igitur  
justi sufficiens habent auxilium, ut perseverent usq; in finem, tametsi non omnes perseverent. 36. Infi-  
delibus adultis, infantibus sine baptismo morientibus DEUS non denegavit auxilium sufficiens ad Salu-  
tem. 37. Gratia efficax non tollit libertatem arbitrii. 38. Ut subsistat divina scientia infallibiliter est  
habitura suum effectum. 39. Gratiam ergo efficacem rectè constitues in speciali contemperatione divina  
vocationis cum voluntate in his circumstantiis, in quibus novit, quod voluntas infallibiliter consensus sit  
præbitura. 40. Justificatio formaliter fit per habitum à charitate habituali realiter indistinctum, acce-  
dente extrinseco DEI favore. 41. Delere posset DEUS culpam sine physica peccatoris mutatione. 42.  
De facto DEUS non dimittit peccata dimidiatè, etsi absolutè loquendo posset aliter. 43. Justificatio  
passiva est supernaturalis mutatio, quo quis per veram susceptionem donorum & gratia sanctificatur & re-  
novatur secundum hominem interiorem. 44. Ultima dispositio ad justificationem requisita, non proce-  
dit ab habitu, ad quem disponit. 45. Meritum de condigno requirit statum gratia, in super promissionem  
& acceptationem divinam. 46. Mortificatum per mortale, reviviscit in justificato. 47. Licet sine  
auxilio speciali nemo possit viribus naturæ facere vel velle aliquid boni in ijs, quæ ad salutem spectant, cujus  
contrarium falsò affirmatur SCOTO, non tamen omnia opera à solis viribus naturæ facta, pecca-  
tum sunt.

Status  
Innocē-  
tia.  
Status  
naturæ  
lapsæ.  
Status  
naturæ  
repara-  
tæ.

Sere-